ICONOLOGIA SALVATORIS, & KARILOGIA PRÆCVRSORIS, siuè

DE IMAGINE SALVATORIS ad Regem Abagarum missa: &

DE CAPITE S. IO. BAPTISTÆ PRÆCVRSORIS

Romæ in Ecclesia Monialium S. Siluestri dicta (de Capite) mirifica omnium deuotione asseruatis, & cultis.

TRACTATVS

Ioannis Giacchetti Presbyteri Serrani.

Xpi Imago Edessena

Caput S. Io. Bapt. Præcursoris

Romæ in Ecclesia S. Siluestri de Capite

ROMAE, Apud Iacobum Mascardum. 1628.

SVPERIORVM PERMISSV.

Imprimatur si videbitur Reuerendiss. Patri Mag.Sac.Pal.

A. Episc. Bellicastren. Vicesg.

Imprimatur,

Fr. Hyacinthus Lupus Socius Reuerendiss. P.Mag.Sac.Pal.ac totius Ord.Pręd.Vicarij Apostolici.


REGI SECVLORVM
IMMORTALI, ET INVISIBILI
SOLI DEO
GLORIOSÆ, ET BENEDICTÆ
SEMPER VIRGINI
MARIAE
BEATO IOANNI BAPTISTÆ
PRAECVRSORI
SE, AVCTOR, ET OPVS
D. D. D.

AVCTORES, QVI CITANTVR *in toto Tractatu.*

Abrahamus Orterius.
Adrianus Papa.
Ado Episcopus.
Agapitus II. PP.
Alphonsus Tostatus.
S. Ambrosius.
Ammianus Marcell.
Anastasius Biblioth.
Antonius Democh.
Beda Presb.
Bonifacius IX. PP.
Breuiariũ Eccl. Aug.
Cantica canticorum.
Cæsar Card. Baron.
Cæsar Franciottus.
Cedrenus.
Claudius de Rota.
Conc. Nicæn. 2.
Concil. Rom.
Curopalates.
S. Cyprianus.
S. Ephren Diaconus.
Eutropius.
Eusebius Cæsarien.
Euagrius.
Frodoardus.
Franciscus Gonzaga.
Genesis.
Gelasius Papa.
Glaber Rodulph.
S. Hieronymus.
Honorius IV. Papa.
Hymnus de Virginib.
Iacobus Gratserus.
Iob.
S. Io. Apost. & Euang.
Ioseph Hebræus.
S. Io. Chrysostomus.
S. Io. Damascenus.
Ioannes Molanus.
Ioannes Marianus.
Io. Matthæus Caryophalus.
Isaia Proph.
Isidorus Episc. Hisp.
S. Leo Papa.
Lippomanus.

S. Lu-

S.Lucas Euangelista.
Lucas Vuadingus.
Machab.
S. Matthæus Apost. & Euang.
S.Marcus Euang.
Martyrol.Romanū.
Marianus Scotus.
Menologium Græcū.
Metaphrastes.
Nicephor. Callistus.
Nicephor. Constantinopol.
Psal.30.& 131.
Paulus I. Papa.
Pancirolus.
S.Petrus Chrysolog.
Petrus Garzia.
Petrus Martyr.
Philippus Ferrarius.
S.Prosper.
P.Lentulus Consul.
S.Remigius.
R.Card.Bellar.
Ruffinus.
Seneca
Sigibertus.
Socrates.
Sozomenus.
Stephanus IV. Papa.
Stephanus Durantus
Suidas.
Surius.
S. Thadæus Apost.
Tertullianus.
Theatrum terræ sanctæ.
Theophanes.
Titus Liuius.
Thomas Bozius.
Vgonius.
Virgilius Maro.
Vsuardus.
Zonaras.



INDEX CAPITVM ICONOLOGIAE SALVATORIS.

DE veritate non manufactæ Imaginis, deque insignioribus ab ea mirabilibus ostensis. Cap. I.

De Translatione Imaginis è Ciuitate Edessa Constantinopolim. Cap. II.

De Translatione eiusdem, Constantinopoli in Vrbem Romam, & in Ecclesiam S. Siluestri. Cap. III.

De huiusmodi secundæ Translationis probatione. Cap. IV.

De alijs testimonijs circa hanc in Vrbem translationem. Cap. V.

De Auctoribus asserentibus, deque alijs considerationibus, & indicijs. Cap. VI.

De simillima vniformitate Sanctæ istius Imaginis cum alijs à Christo Domino miraculosè efformatis, ac de notabili paritate eiusdem cum relatione Auctorum, qui de humano aspectu Domini scripserunt. Cap. VII.

De disparitate aliarum humani artificij figurarum, deque causa talis disparitatis pro nostra affirmatione non manufactæ Imaginis. Cap. VIII.

ICO-

ICONOLOGIA SALVATORIS

siue

DE SACRA, ET VENERABILI Imagine Christi Domini Nostri Saluatoris

TRACTATVS.

De veritate non manufactæ Imaginis, Edessenæ, deque insignioribus ab ea mirabilibus ostensis. *Cap. I.*



PECIE augustissimam, maiestate venerabilem, & consideratione quasi diuinã Christi Domini Nostri Saluatoris Imaginem, ante tempus passionis ab eodem mirabiliter impressam, & Abagaro Regi Edessæ in Syria, Christum videre cupienti missam, absconditã fortasse à deuotione pleriquorũ aliunde turbatorum, quos pro-

pè loquitur Propheta Pſal.30. *Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum*, ſuo tamen lumine ſignatam, ſuis interdum mirabilibus coruſcam hic primò tractatus enarrat.

Sanctum Domini Præcurſoris Caput, magni depoſitum Baptiſtæ, omnium Eccleſiarum deuotioni chariſſimum, verarumque hiſtoriarum argumento notiſſimum, deinceps exponet. Ac quamobrem ex Orientalibus oris vtrumque fuerit Romam tranſlatum, & in Eccleſia Sancti Silueſtri de Capite aſſeruetur; quantum ex monumentis veridicis percipitur, apertiora teſtimonia breuiter percontabitur.

Primo itaquè cum huiuſmodi ſacræ non manufactæ Imaginis hiſtoria tantopere à veridicis grauibusq. affirmetur Auctoribus, vt proinde à cunctis ſine hæſitatione ſit recepta; immo cui diſſentiri, temeritas; & non admittere eſſet improbitas (ſicuti Caſaubonum contra effutientem, doctè pièq. refellit Gratſerus in Syntagm. de imaginibus manu non factis) non modica coniectura probatur, indictam gentibus, & confirmatam primitus fuiſſe Imaginem ab Apoſtolo Chriſti Thadæo eumque non calamo, ſed lingua, non literis,

ſed

ſed ore, & extenſo quaſi digito Sanctiſsimæ huius figuræ confirmaſſe veritatem. Siquidem Euſebio, & Hieronymo teſtãtibus, Apoſtolus Thadæus perrexit Edeſſam, ac ibi, quam viderat à Domino imaginẽ fieri mirabiliter, iterum apud Regem aſpiciens, teſtimonium omninò perhibuiſſe percreditur. Dignoque Apoſtoli ore de Sacratiſsima hac Icone tunc traditio inoleuit; & taliter confirmata vndequaq. recepta eſt.

Nec ideò mirum, ſi tantam Regis credulitatem, & fidem atq; Chriſti obſequium, munuſque, nec ipſe, nec alius ſcripſit Apoſtolorum: ſi memores quod D. Ioannes in Euangelij ſui fine concluſit: *Sunt, & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos qui ſcribendi ſunt libri.* Cuius auctoritate (pro, tacitæ forſan conſimilis obiectionis reſponſu) nitebatur Stephanus Papa in Concilio Romę habito pro Sãctarũ Imaginũ adoratione. Etenim Sãctiſsimus Põtifex, inexpugnabile pro ſanctarũ figurarũ adoratione argumẽtũ in huius Sãctiſsimæ Iconis hiſtoria fundauit. Chriſtus enim dum Sãcti Vultus ſui figurã expreſſit, eamq. Abagaro miſit, non abnuit Regem; aliosvè fideles eã in poſterũ eſſe adoraturos.

Pro-

Propensius itidem hanc asserimus veritatem Imaginis; ex eo quod Matth. capite 4. habetur Christi miraculorum famam in vniuersam abijsse Syriam in qua erat Edessa. *Et abijt opinio eius in totam Syriam, & obtulerunt ei omnes malè habentes varijs languoribus, & tormentis comprehensos*. Hos inter Rex Edessæ tunc reperiebatur Abagarus infirmus, sed occasione languoris pro deuoto credulitatis officio, litteræ ingenti fide, humilibusq. precationibus plenæ ab eo missæ fuerunt ad Christum Redemptorem. Rursumque Dòmini ad Abagarum responsio, pijs cęlestibusq. referta promissionibus commemoratur. Planè hoc Sanctus Ephren Diaconus Edessenus in opusculo testamenti, ac Theodorus Studita in Epistola ad Paschalem Papam contestantur, imo alij, quorum meminit Card. Baronius tom. 1. Annalium anno Domini 31.

Perrexit enimuerò Apostolus Edessam, & vt Eusebius refert lib.1.cap.13.Regi ægro, & deprecāti, gratiarum suauitates in nomine Domini, in quem mirificè credebat, impertit. Verùm haud silentio prætereundum, quam læto corde, quam hilari fronte Discipulum Christi recepit Abagarus, qui expectato prę-

cisus

cisus tẽpore, quem tandẽ susceptit, diù parabat hospitari. Promiserat siquidem Christus ex suis aliquẽ esse missurum, quẽ aliquando visum tenuit ingenti deuotionis affectu. Sed ò quàm deuotè, credimus prouoluebatur ad pedes, ò quàm instanter inuitabat ad narrandum de Domino, deque suorum mirabilium expositione vrgebat. Atque in colloquijs, tãquã secreti in Ara sacelli eminebat hæc Christi Domini Imago Sanctissima, in quã oculos mentesq. attollẽtibus, gaudium solatiumque oriebatur, ac præsidium.

Porrò si cœnaculi, si caluarij, si sepulchri, ac huiusmodi loca permulta, post Domini Resurrectionẽ à Discipulis Christi tenero deuotionis affectu, sanctificata, honorata, celebrata fuere. Imò Apostolico inceptus exẽplo, Apostolicaq. indictus traditione adhuc eiusdem visitationis, & venerationis talium, similiumq. locorũ perseuerat vsus, & vota: quid pro ea nõ excogitarẽt efficere quæ Domini, & Magistri viuã quasi præsentiam exhibet, & vultus illius maiestatem ostendit? Ac si Regis Dauid hortamur impulsu, locum adorare vbi steterũt pedes eius, quẽ Saluatorem prophetans intendebat. Psalm. 131. Quare non ampliori pietate adorandum, haud pedum, sed

San-

Sãctissimi Vultus impressionẽ, dignãq. figurã?
Vehementius igitur Rex, Edesseniq. fideles deuotissimã Christi Imaginẽ coluere, Apostolico ad colendã verbo & exemplo instructi. Magnificatus fuit illicò venerabilis honos imaginis, ac deuotio. Fama etiam de mirabilibus crescens, toto primum orienti diffusa, Christiano deinceps illuxit Orbi. Hinc eloquijs prædicauere Patres; hinc scrptis notarunt sapientes; quos fideliter colligit, refertq. Gratserus in Syntag. cap. 5.

Hos inter, duo Sacrosancta Concilia testãtur. Nicænum secundum, trecentorum Episcoporum & amplius, à quibus vnanimiter hæc tum in Oriente asseruata, probatur Imago, ob quæ tres Patriarchæ orthodoxi Orientales tunc scripserant luculenter: & profectò quam fideliter recepta fuere quæ dicebantur, de ista, atque omnium Sanctarum Imaginum adoratione. Horum enim meminit Euagrius Scholasticus lib. 4. historiarum cap. 26. & in actis eiusdem concilij actione 5. registrantur.

Itidem Concilium Romanum sub Stephano Papa, qui Sanctissimus Pontifex, sacro sedente Concilio de hac præsertim Imagine Christi Sacratissima (adhuc apud Orientales

cu-

custodita) quàm optimè perorauit; ob ea, quæ tres Otientales Patriarchæ ad Paulum Papam scripserunt; Theodorus scilicet Hierosolymitanus, Cosmas Alèxandrinus, & Theodorus Antiochenus, vti refert Adrianus Papa ad Carolum Imperatorem in Apologia de Imaginibus. In his ergo sacrorum Antistitum Synodis, ac venerabilium Orthodoxorum Comitijs, huius Sanctæ Christi Imaginis ad Abagarum missæ historiam, ac miracula perinsignia, sãcti Episcopi congregati, Sacerdotes sacri, ac Patres orthodoxi recipiendo fidelissimè probauerunt. Idque noua Conciliorum editione tom. 3. cap. 18. refertur, & in Annalibus Card. Baronij tom. 9. Ann. 769. sed prolixius explicant loco prædicto Euagrius, S. Ioannes Damascenus de fide orthodoxa lib. 4. cap. 17. Nicephorus historiarum lib. 2. cap. 7. Metaphrastes in actis Samonis, & Guriæ die 15. Nouembris, Claudius de Rota in vita Sancti Alexij 16. Iulij, Surius 16. Augusti. Durantus de ritibus Ecclesiæ Catholicæ lib. 1 cap. 5.

Præter hos Illustris memoriæ Auctores, duo tantum celebriora miracula (veluti duo luminaria in tot perspicuarum historiarum, & inclitarum auctoritatum firmamento) memorabun-

rabuntur. Alterum aduersus Chosroam Persarum Regem, eiusq. impias phalanges cum contra Edessam (Sanctæ tunc Imaginis habitaculum, atque Sacellum) impetu irruerent. Mirabilis tũc Imago Saluatoris in tali Edessenorum angustia copias militum, militumq. Ductorem dispersit omninò, ac fugauit potenter. Vti refert iam dictus Euagrius lib. 3. 4. quem ita probabiliter edicentem, Nicæni Concilij Patres adeò confirmarunt; vt contra nefariam Iconomachorum hæresim, pro sanctarum Imaginum adoratione stabiliere sententiam.

Alterum quippè miraculum sub Mauritio Imperatore, & Philippico Duce, is quidem securus de patrocinio, eam secum duxit in Castra, & ecce contra Persas quoque potentia cœli visa fuit. Ex Imagine enim hac rutilante corruit exercitus infidelium bellatorum. Refertur in historia Miscellanea lib. 17. & à Baronio tom. 1. Anno Domini 31. Grats. cap. 6. & 7. quamobrẽ perspicuè considerandum est, non vni, aut aliquibus, non domi, aut vico, sed sub dio, & in campestribus, apud Castra, & milites, in conspectu Imperatorum, & Ducum, coram exercitibus & turmis visa, recepta, & conclamata fuere huius non manufa-

nufactæ Imaginis miracula celebriora. Solus Casaubonus tot inter cęcutijt, nempè vt Harpastis de domo Senecæ caligauerat. Hæc (vt refert ep. 50) orba luminibus, domi lucem non oriri, ob fatuitatem dicebat; ille cęcus animo, ob impietatem manifestissima non vult credere.

Sacrosancta itaq; cælestis Imperatoris Imago ad castra perducta (vt quōdā Arca Dei viuentis contra Philistæos) audaces in bello, suos visa est reddere deuotos, extemploque facere confidentes, hisq. insolitam infundere virtutem, præstare vigorem, nondum expertam adijcere fiduciam, viribus quoque fortiter implere. Inimicos autem (ferreos acresque licet,) ægros inconstantesq. vacillare; subitis circumdari tenebris, languidos sudantesq. debilitari; animo exturbari. Illico acclamanti fidelium exercitui virium incrementa, victoriamq. cumulauit. Quod si splendore armorum filiorum Israel gentes idolatræ dissipabantur. *Refulsit enim Sol in clypeos aureos, & æreos, & resplenduerunt montes ab eis.* Machab. 1, cap. 6. Vnde postmodum fortitudo gentium territa, debellata fuit: quantò magis splendidissimæ huius Imaginis claritate mirabili

bili, gens pessima, & infidelis dissipata interijt? eodem ferè modo quo Isaias 30. prophetando minabatur, *mille homines à facie terroris vnius fugietis*. His itaque mirabilibus Imperator cælestis suam augustissimam, mirabilemq. figuram edocet à fidelibus coli, & ab nimicis tantopere debere formidari.

De Translatione Sanctæ Imaginis Edessa Constantinopolim. *Cap. II.*

QVousque autem (ad nongentos scilicet annos) Sanctissima hæc Imago permãsit Edessæ in Syria, tũc isto Ciuitas munita præsidio, veluti ope protecta diuina, cęlestiq. asseruata custodia, ab hostiũ turmis mirabiliter liberata, ab exercitibus intacta, atque à malorũ calamitatibus haud oppressa existebat, quin potius omni prosperitate redundãs, toti penè Orbi præstabat, effulgebatq. vehemẽter. Testatur enim verò, nõ verbo sed exemplo S. Alexius Cõfessor: qui Roma Edessã peragrans, istam visitaturus tetendit Imaginem, de cuius peregrinatione multi scribunt, sed explicitius Clau-

Claudius de Rota in ſua collectiua legẽdarij.

Sed vt mos eſt inter mortales, pro huiuſmodi deuotionis prærogatiua, inuidia ſerpſit Ciuitatibus, potentatum culmine præditis, inclitæ tamen Imaginis haud conſeruatione dignatis, vel patrocinio communitis. Igitur poſt multas importunæ petitionis vrgentes finitimorũ Potentatuum efflagitationes, tandẽ Romani exercitus Edeſſa vallo circũdata, vt refert Curopalates apud Baronium tom. 11. ann. 944. non quidem contra Romanos, potentiſſima tunc propugnauit Imago, ſed terribilis potentiæ furore ſedato, quæ olim inimicos verberabat exercitus, reddita placidior, non terruit vt hoſtes, ſed eorum forſan intuebatur, deuotionis affectum; qui vt in patria haberent ſicut in corde, zelus, ac fidei permotione compulſi abnegantium expugnabant munimina Edeſſenorum. Vel ſummi Dei ordinatione diſponeretur, vt celebri terrarum loco, celeberrima Chriſtianorum reponeretur Imago. Sicuti ipſemet Imperator Conſtantinus porphyrogenitus in huiuſmodi Iconis oratione credens inſcripſerat. *Poſtquam ad hanc Vrbium Reginam vndiq. confluerent, quæ ſunt optima, & pulcherrima, eratque Dei voluntas hanc quoque ſacram*

Imaginem hic recondi cum alijs thesauris.

Aut idem Altissimus inscrutabilis suæ intuitu prouidentiæ, primarios, verosq. & loci, & nominis, Romanos, idest Occidentales aspiciens, deuotos Imaginis præuidebat futuros, eiusq. aliquando cultores. At ad quid dixi futuros? imò & Constantinopolitanis priores; nostrorum siquidem Romanorum Alexius nobilissimus pergens Edessam, primitias adorationis obtulit pro patria Roma. Et sicut publicanorũ Principi Zacchęo præcurrenti in via qua transiturus erat Iesus, pro tanta præcurrentis fide, domus suæ Iesum recipit hospitio. Ita Princeps Romanorum Alexius, suorum præcurrens deuotionem, inuitationemq. meruit in futurum sacrosanctam hanc in sua patria custodiri Imaginem.

Afflicti igitur tunc Edesseni eo quod superni numinis protectione carebant, æstimantes summi Dei voluntate permittente, sanctissima eos priuari Imagine, Imperatoris Constantini dicti porphyrogeniti, pacem in tot calamitatibus quæsiere. Ac tam pro Edessa, quàm finitimis locis dignarum postulationum iura paciscentes. Gloriosam ad Abagarum datam Imaginem, tantopere petitam liberanti spoponderunt. Sed antequam

talia,

talia, vel inuiti pollicerentur. Ocius quidem solita tentasse effugia, & opem ab Imagine potentissima quæsisse, credi fas est.

Mox etenim Imperator obsidione soluta, Edessaque liberata, pacti memor, ac deuotione perfragrans, cælestisq. huius muneris velox exactor, pompa solemni, comitatu regio, ac ductu sacratiori per manus Episcoporũ, & Sacerdotum hanc sacrosanctam Imaginem Edessa Constantinopolim transferendam curauit. Cuius mirificæ translationis testimonia astruunt in primis ipsemet Imperator in celebri oratione quam de hac sanctæ Imaginis asportatione Edessa Constantinopolim, notatis dierum, locorum, personarumque ac totius itineris circumstantijs scripserat loculenter, quæ registratur à Metaphraste sub die 10. Augusti, atque Curopalates, Frodoardus in eorum historijs, refertur etiam tom. 3. Concil. Menologium Græcum die 16. Augusti meminit quoque Baronius tom. 10. ann. 944.

De eiusdem sacræ Imaginis translatione Constantinopoli in Vrbem Romam.
Cap. III.

IBi quidem vsquequo Ciuitas Constantinopolitana fide alacris, & Imperio felix; Principes teneret pios, Ciues autem sancta deuotione fideles, Imago sanctissima, crebris effulgendo miraculis, ad non multos perseuerauit annos. Cum verò Constantinopolis nec sibi, nec Deo constans, sed in fide vacillans, animarum fuit prostituta Tyranno, & suaue Christi iugum abijciens, ceperit barbara exactoris diaboli pondera sustinere. Tunc orthodoxi fideles, quorum Deus tetigerat cor, & nomina scripta erant in libro vitæ, semen seruorum Dei, à barbarorum, & hæreticorum clade seruati, & à fermento malitiæ, & nequitiæ immunes (vt olim Angeli Babylonem Hierem. 51. & nouissimè Hierosolymam Ioseph lib. 7. cap. 12. de Bello Iudaico) Patriam iam denigratam super carbones, cum lachrymis linquentes, vt securiora peterent effugia, ad Ciuitatẽ refugij, ad matrem credentiũ, ad almam Vrbẽ sub tegmine alarum magni Pastoris vnanimiter confluere.

Porrò

Porrò inter mœſtæ tranſmigrationis poſtrema ſolatia ex prætioſiſſimis totius Orientis theſauris (ſanctorum ſcilicet reliquijs) ſacratiſsimam iſtam ſecum portauerunt Imaginem. Antiquioris exempli diſciplinam edocti, & interioris gratiæ lumine, prouidentia ordinante, illuſtrati. Vti quondam filij Iſrael ab Aegypto oſſa Ioſeph in terram promiſſionis, Gen. cap. 5. Chriſtiani quoq; in Hieruſalem degentes, belli fuga aſportauerũt ſuppellectilia Eccleſiæ, Euſebius lib. 7. hiſt. cap. 14. apud Bar. tom. 1. ann. 68. cap. 19. Et exules Aphricani crudelitate Vuandalica extorres in Sardiniam Inſulam D. Auguſtini corpus aſportauerunt. Sigib. Mar. Scot. in cron.

Hoc Sanctorum ſuorum triumphali vehiculo, quod ſancti Patres, equis igneis, curruque igneo Heliæ affatim digniores, animo trahebant, ſancta Imago porta eſt Romam. Hac proceſſione mortificatorum in Domino religioſorum celebrata eſt translatio illius. Iſto venerabilium Patrũ ſacro famulatu ducta fuit Conſtantinopoli Romam. Hiſce animarum afflictarum propter verbum Dei, veluti incenſo, & ſacrificijs litabatur in via. Talibus etiam holocauſtis ſpirituum tribulatorum honorabatur quotidie ; & tandem vt

Arcæ Dei per Salomonem translatæ oues, & boues absque numero immolabantur in via, 3. Reg. cap. 8. Ita cordis contriti, & humiliati sacrificio sacratiori iugiter colebatur, dum portaretur ad Syon supra montes positam, ad turrim mille clypeorum, ad patriam refugij, ad caput Orbis, Romam inquam, taliter Deo disponente, & permittente.

Quod si Gentibus Idolorum cultoribus curæ erat in transmigrationibus secum ducere idola, & asportare penates nondum prospero temporis statu, sed ruinarum quoq; vrgentibus præssuris, adeòut non prius sua, suorumq. incolumitate prospècta, illis studebant (falsa religione) seruandis. Hinc legitur Aeneidos 2.

Sacra suosq. tibi commendat Troia penates.
Hos cape fatorũ comites his mœnia quære.

Cur non potius Christi Domini serui fideles, gens sancta, genus electum, fortes orthodoxi, pro Dei viui, & veri reuerentia, & honore non sic cogitarint? sudarint? laborarunt?

Imò si pro sanctarum Imaginum cultu, pleraq. Concilia celebrata fuere, vt tandem hæresis illa damnaretur. Insuper tot clades, & excidia interfuere iconomachorũ inscitia, & impietate grassante, cur pro ea Imagine


cir-

circumſpectius non vtique vigilarent, quæ ab ipſo Domino in diebus carnis ſuæ facta, & tranſmiſſa Abagaro, ac deinceps Eccleſię Catholicæ ſemper in Comitijs illis fundamentum celebre, & inconcuſſum optimarum rationum in eiſdem Congregationibus expoſitarum habebatur?

Sed externis nequaquam vtemur, cum domeſticis abundamus exemplis. In taliũ quippe profungorum excidijs Sanctorũ Chryſoſtomi, Nanzianzeni, aliquorum Apoſtolorum corpora Cõſtantinopoli, & à toto ferè Oriente Romam aduenere. Sancti quoque Anaſtaſij Monachi Perſæ, eiuſque effigies veneranda tranſlata fuit, quæ hactenus ad aquas ſaluias, Græcis tunc ibi exiſtentibus, aſſeruatur. Earundem etiam ruinarum occaſionibus tranſlatum fuit venerabile caput Sanctiſsimi Præcurſoris Ioannis Baptiſtæ (nimirum gaudium, & celſitudo Populi Romani, huius theſaurus Eccleſiæ, & illic degentium iubilatio, de cuius translatione peculiarem, inferius ſubnectimus, enartationem. Harum autem aſportationem diuerſo tempore factarum teſtimonia, non tantum Apoſtolicæ litteræ, hiſtorięq. eloquuntur, ſed templa ipſa, oracula, altaria, ijs erecta declarant.

Sanctorum itaque Patrum famulatu ſacroſancta Imago pergens ad Vrbem patuit impletum illud Canticorum 2. *Venit dilectus ſaliens in montibus, tranſiliens colles.* Eo quod Syriæ, atq; Traciæ iugis deſtitutis, ſeu Regibus Edeſſenis, Imperatoribusq. Conſtantinopolitanis deſpectis, eminentiſſimos ſalijt Catholicorum montium, Romanæ ſcilicet arcis celſitudinem beatam; cuius fundamenta ſunt in montibus Chriſti Martyrum ſanguine ſacratis, vbi intrà candidarum virginum clauſtra, vt flos in orto bis concluſo, & veluti ſponſus ſeptus choreis Virginum aſſeruatur, & colitur. Adeòut id quod canticum ſequitur adimpleuiſſe videatur.

En ipſe ſtat poſt parietem noſtrum reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos.



De

De huiusmodi translationis probatione ob antiquam traditionem acceptam à Græcis Patribus Sanctæ tunc Imaginis in Vrbem asportatoribus.
Cap. IV.

PII igitur ſacrorum pignorum portitores, ac Sanctiſsimæ Imaginis Romam verſus, diuina diſponente gratia tranſlatores, cum eſſent viri religioſi, ac boni teſtimonij, eruti vt Lot ab altitudine ventris inferarum hæreſiarum, haud petitis deforis litteris, & probationibus (vltimæ neceſſitatis tunc vrgente periculo) ipſi per ſe teſtati ſunt, à quibus, vt fideles Chriſti Miniſtri, catholicæ veritatis defenſores eximij, & tanquam epiſtola non ſcripta atramento, ſed ſignata teſtimonio cordis in charitate radicati, quas dederant de Imagine traditiones, vt veriſſimæ habitæ sũt. Et ab ijs qui ad inſtar quinquaginta fortium ambientiũ lectulum Salomonis ad ſacratiſſimam aſſiſtebant iconem, ſacrarumq. laudum, & oblationum miniſterio mediante, interioris ſacelli veſtibula tenebant. Vrbs Roma Imaginis Chriſti ad Abagarum datæ munus, easq. orthodoxorum traditiones ac-

cepit, Orientalium quoque recognitione,qui eandem,quam Conſtantinopoli viderant, diuerſa poſtmodum temporis occaſione confluentes in Vrbem, aſpiciebant, tenuit affirmatas.

Huiuſmodi Imaginis itaque ab orthodoxis Græcis acceptæ,teſtimonium dignius, ratioque notiſſima ipſa eſt, ad hæc vſque tempora perdurans traditio. Et quidem indecens eſt de foris probare,id quod ſuamet duratione clarificatur, continuitateq. commendatur. Enimuerò probabilius eſt traditionem tenere intermiſſo ætatum tempore, veridicorum cõſenſu ratificatam, quam ſi pauci eſſent Auctores, alter alterius in omnibus imitator. Idcircò gloriatur Roma in huius translationis aſſertione, plures innumerosq. teſtes habere, non in vnius, aut paucorum relatione inſtructos, ſed transferentium orthodoxorum fundatos traditione, quæ diuerſo hominum ſtatu, multipliciq. temporum mutatione, à generatione in generationem vſque adeò fidelis viget,& incõcuſſa perſeuerat. A quo nam per hæc ſæcula oppugnata eſt? aut quando mutata? aut ſaltem diminuta? vel tandem aliorſum atque nunc eſt,conclamata traditio? non quidem; ſed quæ à principio tantæ auctori-

tatis

tatis ſincera effulſit, ipſa & nunc intemerata, manet, & ſine hæſitatione probatur.

Etenim miſerrimæ ſuſpectionis eſſet dubitatio ſi tàm pretioſum pignus, ſi tàm inſignè faciei Saluatoris monumentum, ab eodem Chriſto, Abagaro Regi, & per eum Eccleſiæ ſuæ ſponſæ dono datum, à Regibus, & Imperatoribus magno deuotionis ardore percultum, à Pontificibus, & Concilijs tantopere, commendatum, in neceſſitatibus vniuerſale, adiutorium, contra inimicos propugnaculum, in calamitatibus effugium, denique non, Orienti tantum, ſed toto penè mundo celebrè, & inſignè, potius ſuſpicari ammiſſum, fuiſſe ex negligentia, quàm attentiſsimè aſſeruatum pro Religione, atque Sacerdotum cuſtoditum officijs. Vel in excidijs locorum, & tranſmigrationibus gentium potius credere immemores illos reliquiſſe, quã pietatis ſtudio vigiles ſecum aſportaſſe. Vbinam intentæ cuſtodum excubiæ? Vbi miniſtrorum, vel ſaltem vbi populi credentis ſincerìſsima deuotio? Horum quippe omnium læderet officia, deturparetq. fidem ſi quis anceps tranſlationem non admitteret illorum.

Verùm huiuſmodi fortaſſe incredulorum torporem, hæſitationemq. penitus delet, non in-

inquam talium aſportantium, fides, zelusq. ſed ipſamet ſanctæ Imaginis præſentia, eiuſdemq. vetus in hac Eccleſia haud patitur aſſeruatio, cuius tot ſunt teſtes, quot omni ex parte confluentes deuoti adorant, & adorando confitentur.

Talibus itaque conſtipata Miniſtris quamdiù in Oriente exiſtebat, credentibus benefaciendo ſemper illuxit. Illinc poſtmodum ob ſcelera gentium illarum diſcedendo tranſmigrauit in Vrbem. Migrauit inquam quia ſe portantes ipſa portauit, & Romam tranſmeantes ipſa regebat euntes, faciebatque enimuerò ad longa illa itinera incolumes, & promptiores.

De alijs teſtimonijs hanc circa translationem in Vrbem, quæ ab huius Eccleſiæ Sancti Siluestri monumentis excipiuntur. *Cap. V.*

POſt argumenta quidem verarum coniecturarum, & traditionum; poſt Religioſorum Patrum fidelem in dies approbationem, poſt tandem ſacratiſſimæ Imaginis vultum, & præſentiam ſemet in omnibus ſinceriſſimè declarantem, pleraque non

desunt probationum indicia in hac sancti Siluestri Ecclesia (admirandæ Imaginis domicilium, & locus.)

Horum quippè primum, quod hæc ipsa Ecclesia à bon. mem. Paulo Papa Primo in Orientalium Græcorum Cœnobium fuerat concessa (perfidorum namque Imperatorum impio edicto, fideles orthodoxi Orientalium regionum facti extorres sub vniuersalis Pastoris tutela protegendi, Romam pro effugio petiere; quos pro recta fide, ac pro sanctificatione animarum suarum admodum oppressos, clementissimus Pontifex in hac Ecclesia à se nouiter erecta, ac Diuo Siluestro dicata, pietatis etgo conclusit, annuens, vt græcæ psalmodiæ concentu Domino canerent, siue quia expeditior inerat Græcis græcæ linguæ modulatio, siue vt omnium linguis laudaretur Deus, ac ne periret, quod Hester 13. scriptum apparet. *Ne claudas ora canentium te*, porrò id permulta adhuc superstita declarant monumenta, nonnullique scripserunt Auctores, nempe Anastasius Bibliothecarius in vita eiusdem Pauli Papæ Primi, & Card. Baronius tom. 8. ann. 761. hac quoque de causa eiusdem Pauli Apostolicæ litteræ pro hac Ecclesia quorundam Græcorum nominum expres-

sione

ſione ſignantur, ſed notiſſima res eſt, nec longa indiget probatione, ex horum ergo Græcorum commercio, & occaſione Monaſterij inſignia Orientis munera ſpiritualia (Sanctorum ſcilicet pignora) translata fuerunt in Vrbem *cum habentibus enim Symbolum facilior eſt tranſitus*, tum quoque facilis via, ac breuior ex frequētatione meantium, & Conſtantinopoli Romam, Romaque illuc, vt paſſim vetuſtæ memorant hiſtoriæ.

Alterum autem magni teſtimonij veſtigium, eſt antiquus ritus, græcaq. deuotio ab ijs intermiſsè pro ſacratiſſimæ Imaginis ſolemnitate obſeruatus, quæ in tantæ rei affirmatione, diuina diſponente gratia adhuc perſeuerant. Siquidem die 15. Auguſti poſt veſperas pſallentium ſanctimonialium proceſſio cum hac Sacratiſſima Imagine Saluatoris, per clauſtra Monaſterij perducitur. Mos quidem Græcus, & à Græcis illis per traditionem acceptus pro anniuerſaria commemoratione translationis huius Sanctiſsimæ Figuræ, tunc temporis Edeſſa in Syria ad Conſtantinopolitanos Græcos. Quamobrē indictum Auguſti diem quotannis pro translatione huiuſmodi, iſto proceſſionis ritu, ac ordine ſicut recolebant in Oriente, ita & percoluerunt in Vrbe,

po-

posterisq. ac cunctis talem tradidere obseruationem. Porrò de hoc translationis, ac pijssimæ solemnitatis monumento Monilogium Græcum affirmat die 16. Augusti. Intermissa igitur tàm venerabilis memoriæ celebritas anniuersaria à priscis asportatoribus tantopere continuata,& successoribus præstita, ad venerabiles quoque peruenit Matres, quæ grandi religionis affectu sicut de Domini, & Saluatoris seruitute, cultuque delectantur, ita de antiquioris rei intermisso testimonio hilarescunt.

Istius præterea similitudinem processionis eadem Augusti die imitati sunt fratres hospitalis in Laterano cum Imagine Saluatoris, quæ asseruare dicitur in Capella *Sancta Sanctorum* cœperunt tamẽ sub Nicolao V. Pont. Max. (vt ex monumentis Archiuij eiusdem Confraternitatis apparet) sed quemadmodum tempus est diuersum, ita dispar est causa, si quidem à Fratribus illis ritus obducitur augustalis triumphi (vt ibi asseritur) commemoratione.

Huius autẽ Ecclesiæ, ideſt S. Siluestri, processio vetustior in annis, ac ab Oriente percepta, quam nunc Sanctimoniales obseruant, nonnisi in anniuersariam translationis memoriam

riam

riã huius Sanctiſſimæ Imaginis ad Abagarum datæ (cum ſcilicet Edeſſa Conſtantinopolim ad Græcos fuerit educta) ad hæc vſque tempora religioſiſſimè continuatur.

Nam Græci cum Sacratiſſima Imagine Romam confluentes, Romæ etiam illius primæ translationis ordinem obſeruarunt, ſiue vt Græcas honorarẽt regiones ad quas grandi pompa, & miraculoſo itinere translata fuit, ſiue vt ſeipſos tanquam eius generationis ſoboles Occidenti indicarent; ſiue vt eandem illam eſſe indicerent, quæ ſæculis elapſis Conſtantinopolim pleniſsimo veritatis teſtimonio fuerit euecta. At quoque modo id extat ordinatum, illorum prudentiam admirantes elaudamus, nam tali obſeruationis ſtudio, & pietate, nobis ſecurum, ac vehemens de Sacratiſsimæ Imaginis veritate, teſtimonium præſtitere.

De

De multis Auctoribus asserentibus Domini Imaginem Abagaro Regi missam, in hac S. Siluestri Ecclesia asseruari, deque alijs considerationibus, & indicijs. Cap. VI.

PRæter celeberrimas Orientalium, Græcorum affirmationes, præter mirifica traditionis, atque rituum in hac Ecclesia obseruatorum, documenta quæ diximus; nonnulli quoque huiusmodi veritati, scriptis suis astipulati sunt auctores. Nam ex vetustissimarum historiarum monumentis, in hac prædicta S. Siluestri Ecclesia Imaginē Saluatoris ad Abagarum datam asseruari, testimonia tradiderunt. Hos inter Card. Baronius tom. 10. ann. 944. cap. 14. Gonzaga, lib. de principio Seraphicæ Religionis in Prouincia Romana. Vgonius in historijs stationum, in Ecclesia sub tit. S. Siluestri de capite. Petrus Martyr lib. de mirabilibus Romæ in Ecclesia prædicta; Pancirolus in suis thesauris; R. P. Fr. Lucas Vuadingus tom. 2. Annalium Minorum anno 1285.

At si ei, quod hactenus proditum est ex

dignissimis veridicorum Auctorum affirmationibus, additur quod cernitur oculis, quod secreto noscitur sensu, quod quandoque experientia capitur; laudaabile tunc euadet Iconologiæ testimonium, & effusa erit huiusmodi assertionis edictio; Atque nonnullorum explebitur rursus inquirendi, vel dubitandi anxietas. Tales quippe hæsitantium aliquorum titubationes, sensibilis ratio restinguet, & quod sic redditur probabile: iuuat ad confutandas, quas sola contentio, parturit difficultates. Taliter enim Apostolus Philippus, vt Natanielem instrueret, persuadendo adiecit, vt Christum scilicet aspiciendo, confiteatur Saluatorem, quem antea renuerat credere Messiam. *Veni & vide*, ait Ioann. 1.

Attendite igitur, & videte; namque manifestissimum huius rei argumentum, imò præsentis enarrationis fundamentum, ipsamet est Sacrosancta Saluatoris Imago; quæ nimirum ista in Ecclesia Sancti Siluestri asseruatur, & colitur. Aspectu siquidem digno, præsentiaque tanquam diuina, semet indicat, approbat, & docet.

Hæc enim sacratissima Imago, specie admira-

mira-

mirabilis, maiestate grauis, perspicuitate sublimis, visu decora, illud repræsentat signaculum in quo (vt Iob 9. legitur) gratiæ quasi stellæ omnes recluduntur. Illicò vt aspicitur, non humana arte, sed ope diuina expressam, omnis lingua liberè confitetur. Pio siquidem affectu, motuque superno, humanæ haud attribuendo facultati, visum aliquando est, aspicientes non admirari tantùm; sed stupore interdum concuti: interdum vehementi deuotione lætificari. Effulget, enimuerò sanctum quid, quod explicari non potest; percipit autem qui deuotè intuetur.

Testor ipse coram Deo, ex plerisque spectatum admissis, hæc me vidisse, & percepisse, assistentem pro munere meo, dum petentibus sacrosancta propè hæc ostenderetur Imago, anno præsertim Iubilæi, peregrinis scilicet Principibus, Patribus, Religiosisq. pietate, ac sapientia in Dei Ecclesia celeberrimis, idem quod de admirabili maiestate nunc dicitur, cunctos affirmasse. Vt enim sacri Vultus præsentia cernitur, extemplò reuerentia, compunctioq. spectantibus oriuntur. Itidem contritæ mentis humilitas, ti-

mores in ſpe, & ſpei affectus ſe promunt. Alijs lachrymæ, alijs gaudia de ſpiritali lætitia proſpiciuntur. Teſtis eſt ipſamet in dies accepta veritas, omnium confeſſione probata, omnium vocibus ſimiliter conclamata.

Nonnullorum etiam Patrum, ac inſignium Religioſorum huiuſcemodi teſtimonia multipliciter audita, breuitate dimittimus; ſanctiſſimo Iubilæi anno, cum in eorum generalibus comitijs Romam aduenerint, atque ad ſacratiſſimam iſtã Domini tenderent adorãdam Imaginem. Nec tamen quod ingenuè teſtabantur, hic non referendo omittimus, cum vbique ſe prædicaturos admirandum hoc diuini operis faſtigium ſignificarint, quoniam talem, tantamque Dei Imaginem digni habiti ſunt propè poſſe intueri. Eorum igitur pijs, veriſque prædicationibus apud patrias eorundem Eccleſias, vberrima (quam, quæ hic ocyus dicerentur:) manifeſtabuntur de hac ſicuti viderunt, magniloqua elogia, & laudabilia teſtimonia.

De

De simillima vniformitate sanctę istius Imaginis cum alijs à Christo Domino miraculosè efformatis, ac de notabili paritate eiusdem cum relatione auctorum, qui de humano aspectu Domini scripserunt. Cap. VII.

QVanquam superioribus Iconologiæ capitibus, satis abundè pro hac venerabili Saluatoris Imagine fuerit expositum: non adhuc tamen cæptæ enarrationis finis interuenit. Non enim humana voce tantum, rationum probationibus indicitur, vt visum est; sed etiam ab alijs Christi Imaginibus ab eodem Domino mirabiliter factis, omninò verificatur. Porrò si in ore duorum veritas elucet, multò magis vniformitate trium, & repræsentatione earundem, elucidius, & penetrabile verum potest agnosci.

Harum quippe figurarum (siue quæ passionis tempore velo impressa, quod Veronicæ fertur, in Basilica Principis Apostolorum conseruatur; siue quæ Sudario, vel Syndoni eo-

dem ſacræ paſſionis tempore impreſſæ. Atque hæc dictarum prima, & Regi Abagaro ab ipſomet Saluatore miſſa,) mirabiliter inter ſe conformantur aſpectus; ea ſcilicet conſimilitudinis æqualitate, vt vnius repræſentati, atque vnius facientis Magiſtri, teſtimonium afferre videantur. Nec ſupereſt ambigendi locus cum, quod vni ineſt proprium, hoc itidem alijs circunſpici poſſit. Similitudinis, & vniformitatis iſtarum tot ſunt teſtes, quot aſpiciendo fiunt de veritate præcones. Non mea igitur vox, ſed vniuerſorum eſt ſententia, cunctorum iudicium, pariterque affirmatio.

Sed inter innumeros iſtos eminet inſigni pietate celeberrimus, Sereniſs. P. Mauritius S. R. E. Cardinalis à Sabaudia, procereſque multi ſecum, deuotionis ergò in hanc S. Silueſtri Eccleſiã pergentes, Imaginem hanc Sanctiſsimam adorandam anno ſcilicet 1624.

Poterat quippè dicere fideliter, poterant & multi cũ illo veraces arbitri eſſe, nam cum benè proſpexerint, & quæ Romę, & quę Taurini cuſtoditur, indubitatam proinde cõfeſsionem promere valebant. Et quamuis alijs per genas ſanguis circumſpiciatur effuſus, ac liuor

uor, pallor etiam mortis aſsideat; at in iſta ad Abagarum miſſa, liuoris, ſanguinis, atque palloris veſtigia non appareant (quia ante tempus paſſionis facta reperiebatur. (Implicito tamen deuoti cordis aſſenſu, & innata rationalis mentis agnitione) quiſque fatetur dictas figuras vnius eſſe factoris. Et ſicut vnum referunt vultum; vnius quoque inter ſe teſtantur opus vniforme conditoris; ea ſcilicet cõparationis, ac ſimilitudinis obſeruata concordia, qua plures cognoſcuntur ex eodem parente filij procreati, & ex vno artifice varia percreduntur ſimulacra depicta. *Sicut* itaque differentes ætate filios, & diſpares in multis; hos tamen eodem genitos ſanguine, eodemque parente procreatos, quadam intimæ veritatis indagine, atque ſecretioris vultus natura intuemur. Talia prorſus ſic nos cogunt indicia illarum imaginum vnum eundemq. fateri cæleſti potentia efformatorem. Quinimò multa quandoque ſimulacra varijs diſtincta modis & coloribus, ex vno tamen, eodemque perpendimus elaborata eſſe pictore. Ita de Dominicis iſtis pro nunc fas eſt ratiocinari Imaginibus, eoque propenſius innitimur probationum ſimilitudinibus, quo

ex æqualitate harum talis apparet vnitas, effulgetque maieſtas, talis omnimodo mirificæ comparationis eſt æquiformitas, vt humani artificij nequaquam poſſint vſque adeò conſimiliter molimina perpetrari.

Iamque ſepoſitis harum Sanctarum Imaginum conformitatibus, amodo ex multorum Auctorum veridica deſcriptione, haud ſpernenda enunciabimus eorundem teſtimonia. Quemadmodum igitur venerabiles illæ vnitæ cognoſcuntur figuræ, ob proſpicientiũ deuotorum apprehenſionem, proprietatemq. figurarum. Sic qui de Chriſti Domini effigie in diebus carnis ſuæ ſcripſerunt, in hac & proprietate rerum, & perſcrutatione aſpectus maximè reperiuntur.

Venuſtum quippè, egregiumque Domini Noſtri Vultum, viuidam, ac ſpecioſam cæleſtis, æternique candoris effigiem, quam ſelectis verbis, ſententijſque ſcripſerunt: quaſi in iſta venerabili Imagine referri videmus. Frontis ſiquidem ſerenitas, facies ſine ruga, ſupercilia nigra non perinde inflexa, oculi glauci, & clari, naſus quantum decuit longus, barbæ capillus flauus in medio bifurcatus, aſpectus ſimplex, & maturus; facies nec rotunda ni-

mium,nec acuta,modicè rubicunda; venuſtas in vultu,& rubor moderatus,præſeferens maieſtatem,ac multa huiuſmodi, quæ memorantur ab antiquis de Chriſto Domino, prorſus in hac ſanctiſſima Imagine conſpiciuntur, & obſeruantur. (in alijs autem non ſic, quia paſſionis tempore efformatæ, tormentorum, & mortis,liuoribus aſperguntur,) quæ igitur de humano aſpectu Domini ab hiſtoricis memorantur in iſta ad Abagarum miſſa Imagine pernoſcuntur.

Tales inter alios auctores ſunt, Ioſeph lib. 18. antiquitatum. Nicephorus hiſtor. lib. 2. cap. 4. Eutropius quoque hiſtoriographus P. Lentulus Proconſul Aſiæ in epiſt. ad Senatum Romanum. Petrus Garzia lib. 8. inſtitut. Euangelicarum cap. 1. At ſi aliquid probatur quando contrarium non oſtenditur, eò magis ſi plura concordant, ſi docent, ſi denique conteſtari videntur: apud omnes probabile eſſe deberet, atque verax.

De

De disparitate aliarum humani artificij figurarum, cum hac non manufacta: deque talis disparitatis pro nostra affirmatione Imaginis sacrosanctæ. Cap. VIII.

POstremum hoc enarrationis testimonium, atque vltimam de sanctissima Imagine probationem, tanta alacritate producimus, quanta sinceritate percreditur. Ingenuè quidem afferre compellimur, quod apud omnes manifestissimum existens, ambigendi, vel oppugnandi vnquam pariet occasionem. Quamuis enim inter prædictas Domini figuras mira vniformitas adsit, talisque consimilitudo appareat illarum, vt ex vno fas sit credere prodijsse Magistro, ac istam, quæ nobiscum est, cum alijs quoque veram de aspectu Domini retinere æqualitatem (vt capite præcedenti est dictum) tamen reliquæ humano artificio efformatæ, modicam tantummodo semper sustinent comparationem. Artis igitur defectus, industriæq. humanæ

manæ imparitas, teſtantur opus hoc Imaginis ſanctiſſimæ diuina eſſe operatione ſupernum; atque diſciplinas, humanaſque facultates haud poſſe proſequi tàm altioris Magiſtri, & potentis Domini operationem.

Nec porrò inſolita res eſt, dum idem quotidie innouatur miraculū, cum quo Sanctiſſima hæc facta fuit à Domino Imago; quin potius ita diſcernitur vera eſſe, cum id cum quo primitus agebatur, hactenus ſuſtinetur. Nam vt ex Damaſceno habetur lib. 4. citato fidei orthodoxæ. Abagari Regis iuſſu atque impenſis, pictor quidam Chriſti Vultum depingere ſtudebat, vt æger Rex ſaltem poſſet venerabilis faciei ſimilitudine iucundari, cùm nondum eiuſdem Domini Ieſu, vel ſuorum diſcipulorū potuiſſet aſpectu dignus eſſe. At cum pro variabili, & multiplici ſacratiſſimi Vultus Chriſti ſplendore, pictor intendere non poſſet, neque pingere valeret; Ieſus aduocans ad ſe pictorem, ſudariolo lineo ſuæ Vultum maieſtatis impreſſit, ac vt Regi fideliter cupienti immitteret, imperauit. Tale igitur miraculum nunc ex parte innouari reperitur, quia ſicut de ſpecioſiſſima Chriſti Domini facie nil poterat ſumi; niſi hæc quæ eiuſ-

eiuſdem Domini opere, Domino perſimilis apparuit. Ita ex Sacroſancta hac digniſſima Figura, nulla humanę artis perſimilis exprimitur, quæ poſſit, aut valeat cum illa omninò comparari. Quæque imitationes deficiunt, & diſpares euadunt. Nec pro huiuſmodi veritate, aut argumenta depromam, aut rationes extollam. Teſtis eſt ars ipſa, teſtes eiuſdem facultatis pictores, quinimò templa, Aedes, Sacella, & Aras, his plerunque exemplis, & Imaginibus decoratas ſcrutando, quiſque percredet.

Porrò admirabile eſt, huius Sanctiſsimæ Imaginis, lineum velum, tempore vetuſtiſſimum contentamque Figuram hucuſque adeò conſeruari; vt ab excellentibus in arte pictoribus etiam in materia prætioſa, & fulgida haud potuiſſe perfectius effingi. Apelles, Zeuxi, Prothogenes, Phidiæ tandem victi ſunt, ſuperati ſunt, emendati ſunt, vnde ſonat in prouerbium, *quorſum tam multa de Apelle?* In hac tantum conceditur exemplar quantum iuuet deuotos, non autem vt antecellat eximiam, auguſtiſsimamque hanc à Chriſto factam Iconem.

Sola tamen Liguria conſimili ditari figura,

eamque

eamque Genuæ dicitur aſſeruari; haud tamen humana arte, ſed miraculo interueniente facta conſimilis; Paulus ſiquidem in latro nuncupatus, Heremita Sanctiſsimus in Orientis regione conſiſtens, cum ab Imperatore, & Patriarcha Conſtantinopolitano obtinuiſſet, vt per manus eiuſdem Patriarchæ, lineum velum ad proportionem Imaginis ſanctæ apponeretur; in appoſito velo eiuſdem faciei lineamentis ſacram alteram mirabiliter prodijſſe figuram memorant auctores, quos citat Baron. tom. 10. ann. 944. aſſerit Iacobus Gretſer. in Syntagm. de Imaginibus manu non factis. Iſtam deinceps translatam fuiſſe Genuam, vtique affirmant, vbi admirabili etiam deuotione percolitur. Siue alia non manufacta, Imago Chriſti, dicta Imago Camulianen. conſimili miraculo expreſſa, de qua idem Gretſer. loco citato cap. 15.

Veruntamen ſicut canæ parentis, & ex ſe genitæ filiæ conſimilitudinem, ſola tamen annorum imparitas diuidit, ac diſcerni facit vtramque; Perinde ac ſi quæ alibi reperiuntur cum hac quæ eſt Romæ præſtabunt, ſi ambo comparentur inſimul.

Romanis ſiquidē arcibus, in hac ſcilicet S. Sil-

Siluestri Eccleſia cuſtodita, longioris tẽporis ordine antiquior; tanquam ſenili ruga parumper aſperſa ob temporum, locorumque mutationes, matrem ſe teſtatur alterius recentiori ſigno, recentiori vultu conſpicuæ.

His tamen exceptis miraculo interueniente peractis, cæteræ haud iuſtinent omnimodam comparationis, & ſimilitudinis paritatem; quam enim cæleſtis pictor mirabiliter operatus eſt: humanæ non ſufficiunt artes plenius imitari; & quam Chriſtus potenter expreſsit: nequaquam alius conſimiliter valet perpetrare. Id autem cum vniuerſorum oculi percipiant, & iudicent; ſenſuſque adminiculo veritas eniteat, haud proſequar longius definitæ apud omnes, ac claræ probationis argumentum.

Sat eſt hucuſque memorata produxiſſe, tum vetuſtiori ſolidata teſtimonio, tum recentioribus adiuta veritatibus. In hac ergo deſinimus noſtræ Iconologiæ peroratione: Chriſti Domini opus mirabile, ideſt ſui Sacroſanctam Imaginem, ab ipſomet Domino efformatam, & Abagaro Regi tranſmiſſam, à ſanctæ fidei cultoribus, à Patribus orthodoxis ſemper conſeruatam: poſt diuerſa tem-

po-

porum, locorumque diſcrimina, tandem Dei voluntate, Romæ, & in hac Eccleſia S. Silueſtri de Capite reperiri: Sponſiſque circundatam Virginibus, gratiarum quoque mirabilibus ad hodiernum vſque diem in Dei gloriam, & eiuſdem Sanctæ Imaginis veritatem coruſcari.

DEO GRATIAS.